



SIBYLLA Persica, Chaldæa ac Hebræa dicta, sed proprio nomine Sambetha, ad mare rubrum nata est, patre Berosso, matre Erymantha: libros scripsit 84. ac de Christo innumera cecinit, cui cæteræ Sibyllæ concinunt: nam omnium primam fuisse perhibent. huius meminit Nicanor, qui res gestas Alexandri magni scripsit. Vide Lactan. diuina. insti. lib. i. cap. 6. & August. de Ciui. Dei lib. 18. cap. 23. Huic Sibyllæ hæc tribuitur prophetia: *Ecce bestia conculcaberis, & gignetur dominus in orbe terrarum, & gremium virginis erit salus gentium: & pedes eius in valetudine hominum, & inuisibile verbum palpabitur.*

SIBYLLA Libyca, seu Libyssa, secunda fuisse scribitur à Marc. Varrone, in libris rerum diuinarum, qui Sibyllinos libros ait non vnus tantum fuisse Sibyllæ, sed Sibyllinos appellari, quòd omnes fœminæ vates, Sibyllæ sint à veteribus nuncupatæ: vel à consiliis Deorum enuntiandis, iuxta etymologiam, more quidem loquendi Aeolico, *σιῖς* enim Deos, ac *βουλῆς*, consilium vocant Aeoles: vel ab vnus Delphidis nomine. Vide vt suprâ.

Huic Sibyllæ hæc tribuitur Prophetia:

*Ecce veniet dies, & illuminabit dominus condensa tenebrarum, & nexus synagogæ soluetur, & desinent labia hominum, cum viderint Regem viuentium: & tenebit illum in gremio virgo domina gentium, & regnabit in misericordia: & vterus matris eius erit statera cunctorum. inde in manus iniquas veniet & dabunt Deo alapas manibus incestis: miserabilis, & ignominiosus erit, miserabilibusque spem præbebit.*